UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Marii Mercatoris S. Augustino Æqualis Opera Quæcumque Extant

[Complectens Ea Quæ Ad Hæresim Nestorianam Spectant]

Marius <Mercator>

Parisiis, 1673

Religiosissimo & sanctißimo comministro Cyrillo, Nestorius in Domino sal.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14215

Visual Library

preſbyteri Lamponis inſtantia, vt animi ſententiam mutaret. Fuit autem preſbyter ille Alexandrinus, vir induſtrius in gerendis rebus, quod conſtat ex epiſtola poſt plures annos ad eum Conſtantinopoli commorantem a Cyrillo data; miſſus vero fuerat a ſuo præſule ad deportandas literas, & agendum cum Neſtorio de motibus exortis: quod ipſe Neſtorius innuit in ſuis literis, quas quia breves ſunt, & negotii totius ſeriem non mediocriter manifeſtant, ſubjungendas duxi.

RELIGIOSISSIMO & ſanctiſſimo comminiſtro Cyrillo, Neſtorius in Domino ſal.

NIHIL ſane chriſtiana modeſtia potentius eſt, nihil firmius. Ea vt in præſentia per Lamponem preſbyterum religioſiſſimum ſcriberemus, nos commovit. Cum enim ille de tua pietate multa referret, multaque viciſſim audiret, poſtremo vrgendi finem nullum fecit, donec haſce a nobis impetravit. Quapropter hominis importunitati manus dedimus: nam, vt quod res eſt, ingenue fatear, non mediocrem cujuſcumque chriſtiani viri modeſtia (vtpote in cujus pectore Deus inhabitet) timorem mihi afferre aſſolet.

Proinde quod ad nos ipſos noſtraque attinet, etſi non pauca a pietate tua deſignata ſint, fraternæ caritati parum congruentia; (oportet enim modeſte loqui) ita nihilominus affecti ſumus, vt ſolidam animi lenitatem conſervare, necnon in priſtino benevole amiceque per literas ſalutandi officio permanere decreverimus. Quantum vero Lamponis religioſiſſimi preſbyteri vehemens impulſus ille fructum nobis allaturus ſit, experientia ipſa demonſtrabit. Univerſam, quæ tecum eſt, fraternitatem ego, quique mecum ſunt, ſalutatam cupimus.

ΤΩι ΘΕΟΦΙΛΕΣΤΑΤΩι, καὶ ἁγιωτάτῳ μου συλλειτουργῷ Κυρίλλῳ, Νεστόριος ἐν κυρίῳ χαίρειν.

ΟΥΔΕΝ ἐπιεικείας χριστιανικῆς βιαιότερον. ὑπὸ ταύτης οὖν νῦν διὰ τοῦ εὐλαβεστάτου πρεσβυτέρου Λάμπωνος, πρὸς δὲ τὸ παρὸν βεβιάσμεθα γράμμα, πολλὰ μὲν εἰπόντος ἡμῖν περὶ τῆς σῆς εὐλαβείας, πολλὰ δὲ καὶ ἀκούσαντος, τὸ τελευταῖον οὐκ ἐνδόντος ἡμῖν, ἕως δὲ παρ' ἡμῶν εἰσεπράξατο γράμμα, καὶ τῇ τοῦ ἀνδρὸς νενικήμεθα βίᾳ. Φόβον γὰρ ὁμολογῶ κεκτῆσθαι πολλὴν, περὶ πᾶσαν παντὸς ἀνδρὸς χριστιανικὴν ἐπιείκειαν, ὡς ἐγκαθήμενον αὐτῇ τὸν Θεὸν κεκτημένην.

Τὰ μὲν οὖν παρ' ἡμῶν, καίτοι πολλῶν παρὰ τῆς σῆς θεοσεβείας οὐ κατὰ ἀδελφικὴν ἀγάπην, (δεῖ γὰρ εἰπεῖν εὐφημότερον) γεγονότων, ἐν μακροθυμίᾳ τε καὶ ἀγάπῃ γραμμάτων προσρητικῇ. δείξει δὲ ἡ πεῖρα ποταπὸς ἡμῖν ὁ τῆς παρὰ τοῦ εὐλαβεστάτου πρεσβυτέρου Λάμπωνος βίας καρπός. πᾶσαν τὴν σὺν σοὶ ἀδελφότητα ἐγώ τε, καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ προσαγορεύομεν.